Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

scriptum est: Initium omnis peccati superbia. Pulchritudinem ergo cutis et brachia primogenita mors devorat, quia iniquus gloriam et operationem superbia supplantat. Potuit enim in hac vita sine culpa gloriosus existere, si superbus minime fuisset. Potuit auctoris sui iudicio quibusdam suis operibus commendari, nisi haec eadem opera ante oculos eius elatio supplantasset. Sepe enim quosdam divites videmus, qui opes et gloriam sine culpa habere potuissent, si haec habere cum humilitate voluissent. Sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur ceteros, omnemque vitae fiduciam suae in ipsa rerum habundantia ponunt. Unde et quidam dives dicebat: Anima, habes multa bona congregata in annos plurimos; quiesce, comede, bibe, epulare. Quas eorum cogitationes dum superius iudex aspicit, de hac ipsa sua eos fiducia evellit. Unde hic apte subditur: Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius, et calcet super eum quasi rex interitus. Hoc loco interitus nomine ipse hostis humani generis qui interitum intulit designatur, qui per quendam suum satellitem exprimitur, de quo ad Iohannem dicitur: Nomen illi mors. Iste itaque interitus in die exitus quasi rex super impium calcat, quia quem prius blandis persuasionibus decepit, ad extremum rectitudinis violentis nisibus ad supplicium rapit. Tanto quoque eum durius deprimit, quanto in pravis actibus violenti assensu

git. Qui hic quoque reprobi mentem diu possidet, calcat, quia quotiens eum delectationibus pressit, quasi totiens super eum pedes suae tyrannicae dominationis posuit. Si vero interitus nomine non apte diabolus, sed peccatum debet intellegi, ex quo contingit reprobos ad interitum trahi, talis nimirum interitus quasi rex mentem calcat, cum eam non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito temptatio deesse peccati. Sed aliud est peccato temptanti resistere, aliud dominanti servire. Iniquus autem quisque quia resistere peccati suasionibus nescit, subiugari autem eius dominio non pertimescit, recte de eo dicitur: Calcet super eum quasi rex interitus. Huius quippe interitus regnum a discipulorum cordibus repellebat apostolus, cum diceret: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non enim ait non sit, sed non regnet, quia non esse non potest, non regnare autem in cordibus bonorum potest. Quia ergo quaelibet culpa cum cor iniquum perculerit, resistens illud non invenit, sed suo dominio substernit, dicatur recte: Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius, et calcet super eum quasi rex interitus. De terra ergo fiducia eius avellitur, quando perversus quisque qui multa sibi ad votum in presenti vita paraverat, repentina morte dissipatur. Et calcet super eum quasi rex interitus, quia vel hic vitiis premitur, vel mortis suae tem